

calcem adjecerat, sed totam paene claufulam erasit stupor quidam hominis, quo tamen vel invito legemus: — — completus Anno d. 1375. in mense Julij — —.

CCCL.

R. 3034 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 132. f. per duas columnas non una manu scriptus, coloribus distinctus, et fronte D. Augustinum cuidam de Ordine Minorum librum tradentem cum aliis 2. Sodalibus inferne adpictis exhibens varia continet, quae sequuntur: I. *Incipiunt flores super libros beati augustini collecti per venerabilem doctorem et magistrum sacre theologie videlicet fratrem franciscum maronis* (de Mayronis) *de ordine fratrum minorum.* Dedi alio Codice *Flores Augustini*, id est, ipsas ejus Sententias e variis Libris *κατα λέξιν* exscriptas. Non sic Gallus noster, *Doctor* olim *illuminatus* dictus, et a. 1325. vivis exemptus. Ejus institutum est, praecipua momenta, quae *Veritates* adpellat, ex Operibus repraesentare, et ita commentari potius in *Augustinum*. Unde sic orditur: *Flores beati Augustini in libro de civitate dei sic colliguntur per ueritates. Prima ueritas est quod illa disciplina que a teneris annis est imbibita est magis diuturna. cuius rationem assignat &c.* Ita post LL. de Civit. Dei percurruntur Tractatus super *Genes. contra Manichaeos, Contra Adamantium, De Trinitate, De Doctrina christiana, De Mi-*

rabilib. S. Scripturae, Confessiones, Oetoginta Quaestiones, Quaestiones super Matth. et Lucam, et de diversis Scripturis, Sermo de Stoicis et Epicureis, et de eo, quod dictum est: Ego sum, Super Genes. ad literam, et Retractationes. Adferunt *Maittairius* et *Fabricius Augustinum de Civit. Dei Tolosae* a. 1488. impressum, in quo inesse deberent *Veritates* nostrae; sed Titulus ejus e *Crevennae* Catalogo a *Panzero Annal. Typogr. Vol. III. p. 50.* relatus tantum Commentariorum *Thomae de Valois* et *Nic. Triveth*, complementique *Nic. Cerseth* meminit. Librum ipsum non vidi. Quod si fortassis ea etiam contineat, quae *Mayronus* in LL. de Civit. Dei adnotavit, num illa habet, quae in reliquos Tractatus hic a me enumeratos?

II. fol. 120. *Incipit liber beati Augustini de heresibus.* Nempe ad *Quodvultdeum.* Ita: *Cum dominus ascendisset in celum, heretici exorti sunt.* Igitur abest tota Praefatio, et continuo Elenchus Nominum 90. succedit; additi enim sunt post *Augustini* tempora *Nestoriani* et *Eutychniani*, quorum Articulos *Mauriani* T. VIII. *Opp. col. 28.* in Notis subjunxere, sed in Codice nostro praeter hos Articulos etiam *Historiola* Damnationis utriusque Sectae legitur, quam excipit *Augustini* Peroratio: *Ecce multas commemoravimus hereses &c.* Ad hujus demum calcem sic: *Quidam libri sic habent in fine, Encratite nupcias dampnant, carnis non uestuntur, saluti primi homi-*

hominis contradicunt, eo quod per eum mors in omnes homines intrauit. Verum haec jam maximam partem ad *Tatianos Haeresi* 25. dicta fuere.

III. fol. 126. p. 2. *Incipit libellus Sancti dionysij de mystica theologia.* Ita: *Compresbitero timotheo dionysius presbiter. Trinitas super substantialis et superdea et superbona inspeatrix &c.* Aliter vertit primus omnium *Pseudareopagitae* interpres latinus circa an. 858. *Job. Scotus Erigena*, ut retuli *Vol. I. P. 1. col. 682.* Primum dico; non enim credo *Fabricio Bibl. Gr. L. V. c. 1. §. 6.* eum anteversum fuisse ab *Hilduino S. Dionysii* in *Gallia Abbate* circa a. 840—42. defuncto, cujus operam in traducendis *Tutelaribus* sui *Scriptis*, ut tum credebantur, *Gallia Christiana T. VII. col. 354.* et *Historia lit. Franciae T. IV. p. 612.* sane non tacuissent. *Jobannis* igitur cognomento *Sarraceni* nostra est *versio*, eaque ordine secunda, qui eam *Odoni* five *II. five III. S. Dionysii Abbati* cum *Epistola* misit. Adest haec *Epistola* in *Codice* nostro post *Versionem*; in *Opp. vero Areopagitae Colon. 1556.* cum *Comment. Dion. Rikelii* f. editis eidem p. 829. praemittitur. *Fabricius* in *Bibl. gr. cit.* aetatem hujus *Jobannis* a. 1180. adfigit, pro quo in *Bibl. ejus med. Lat. L. IX.* annus 1118.

legitur. Neutrum recte; nam *Odo-*nes illi duo ab a. 1151. ad an. 1169. successive *Coenobio Sandionysiano* praefuere. *Epistolam* praedictam excipiunt in *Codice ἀδελφότητος Glossae in Mysticam Theologiam* hoc ingressu: *Mystice theologie beati dionysij tres habentur de greco in latinum translationes.* *Prima est Jobannis Scoti, que antiqua translatio dicitur, secunda est linconiensis* (*Roberti Grosthead Ep.*) *quam ipse in suo commento profequitur.* *Tertia est Jobannis Sarraceni, quam Abbas (Thomas) vercellensis profequitur in suo commento, de cuius principaliter Glossa, et etiam de Commento linconiensis Glozule ac notule, que secuntur, sunt sententialiter tracte.* *Pace ignoti Glossatoris praepo-*ndendus est *Sarracenus Lincolni-*ensi; ille enim *Sec. XII.* hic autem *XIII.* scripsit, anno 1253. defunctus. *Miror* vero virum doctum *J. Fr. Bern. M. de Rubeis* in *Dissert. praevia Editioni Venet. Opp. Dionysii 1755. T. I. c. 5. p. XIII.* *Translationem Roberti Lincoln.* silentio praeterivisse, quae tamen in *Edit. Argent. eorundem Opp. 1502. fol. 264. p. 2. f.* mihi objacet, a *Scoto* et *Sarraceno* diversa. De *Thoma Vercellensi* a. 1226. extincto videtur *Bern. Pezii Dissert. Isag. in T. II. Thef. Anecd. p. XVII.* Ad calcem *Glossae* nostrae lego:

*Ex binis Commentis (Vercell. et Lincoln.) bis binisque diebus
Hec humilis breuiter Glozula colligitur.*

IV. fol. ult. Hee sunt figure Algorismi. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. Inter has figuras est quedam figura que dicitur cifra uel cifrus et nichil significat, id est, nullum numerum representat &c. Sola Numerationis Rudimenta.

Codicis Thecam interne conuestiunt Segmenta Tractatus cujusdam Rabbinici, cujus deprehenditur פרק שנים עשר hoc initio: הלוקח פירות ממי שאינן נאמן &c.

Fol. praeuio inscriptum: Hunc librum flores beati augustini continentem donauit dominus Otto canonicus Quinque ecclesiensis monasterio Sancte dorothee Wienne Anno domini M°. CCCC°. XLVII°.

CCCLI.

- U. 180 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 265. f. non una manu, commode tamen perscriptus, rubricis enotatus et legatus olim Collegio Ducali Vien. a Thoma Haselbachio sequentia complectitur: I. Sermo sancti Augustini de Natiuitate Domini. Initium: Rogo vos fratres karissimi. ut libenti animo sermones quos dominus dabit suscipiatis: in hac dulcissima die &c. et finis: misericors dominus intromittat, qui uiuit et regnat &c. Caesarium potius referens, quam Augustinum rite ablegatus est in Append. T. V. edit. Maur. col. 212.
- II. fol. 4. p. 2. praemissis tamen IX. Librorum Summariis Incipit exposicio Sancti Ambrosij Episcopi in Euangelium Sancti Lucce Euangeliste. Dixi IX. Libro-

rum; ut enim in Codice hoc integrum sit Opus, non tamen in X. quemadmodum edit. Maur. Paris. 1686. T. I. col. 1261. f. sed in IX. Libros tribuitur. Discrimen incipit ab L. VI. qui in Codice totum L. VII. Editionis absorbet ita, ut Liber VII. Codicis sit VIII. Editionis, Liber VIII. Cod. sit IX. Edit. et IX. Cod. sit X. Edit. Initium L. I. est: Scripturi (in) sancti euangelij librum unum quem Lucas &c. et totius Operis finis: pauciores intra conclaue, in monte complures fuisse. Additur: Basilee in Concilio 1434. Policarpi martiris, ubi Haselbachius praefens Librarium unum de multis conduxerit.

III. fol. 133. Incipit sancti Ambrosij episcopi de Officijs liber primus. Ita quidem: Non arrogans uideri arbitror, si inter filios &c. Sequitur Liber II. et III. et hic ipso initio prave omittit verba: David propheta. Finis egregiae institutionis: quodam compendio expressa plurimum instructionis conferat.

IV. fol. 192. Incipit liber primus dialogi sanctorum Basilij et Iohannis Crisostomi. Et ad calcem: Explicit dialogus Crisostomi de dignitate sacerdotali. Omnes VI. Libri, quibus, primo excepto, Elenchus Caputum praemissus est. Incipit I. Michi quidem multi fuerunt certi amici &c. Extat haec Versio in edit. Basil. 1522. T. V. Opp. Job. Chryf. incerto, ut ibi fertur, Interprete, neque ego magis novi, an ad Anianum, aut Mucianum, aut Burgundionem, aut